DISSERTATIO MEDICA 7

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

DYSPEPSIA

COMPLECTENS.

Carolo Bingham Hill Auctore.

PROŒMIUM.

In seculo hocce, voluptatibus, luxuriâque diffluenti, intemperantiâ quidem omnigenâ satis superque notabili, ventriculi affectiones morbosæ mortales sæpiùs exercent. Rebus ita sese habentibus, statutis Academiæ hujusce, inter scholas medicas longè longèque eminentis, solennibus, morem, ne invitè quidem, at eâ quâ

Edinburgh 1814



par est diffidentiâ gesturi, operam nostram in Dyspepsia consideranda dare statuimus.

Morbus quidem hicce, non solùm gulæ improbæ deditos; sed et etiam homines vini, cibique abstinentes, illos, nimirùm, qui animum studio incumbentes, scientiarumque avari, vitam sedentariam degunt, virginemque pulcherrimam dolentem, facilè corripit.

Quin et, vitia ventriculi, partium corporis humani aliarum omnium fabricæ injurias graves promptiùs afferunt, quippe quæ, rebus organi hujusce actioni expositis, et nutriantur, et facilè mutentur.

In hoc igitur statu rerum, si fons ipse, e quo fluida solidaque corporis originem ducunt, inquinatus est, illa aut sana, aut pura habeantur, minimè oportet.

Hisce de hujus morbi effectibus ritè perpensis, præceptoribus, pariter ac lectoribus, causam idoneam esse, quarè, pauca de re medicâ

aliquâ

aliquâ in medium positurus, Dyspepsiam seligere velim, mihi persuasum habeo.

MORBI DEFINITIO.

Morbum de quo agitur, accuratiùs definire, reverà difficillimum est; propterea quod, mala vel pleraque vel omnia, quibus corpus humanum obnoxium venit, vitia eorum in ventriculum paratissimè diffundunt.

Hinc ratio patet, ob quam difficultati huicce cedens, Cullenus ipse, Nosologorum omnium facilè princeps, signorum morbi præcipuorum enumerationem, in definitionis locum substituit, eaque pro functionis ventriculi perturbatæ indiciis, haberi voluit.

Quinetiam, Dyspepsiam definiendi difficultate irretitus, nosologus noster expertissimus, nec notas quæ morbum huncce ab omnibus aliis pro certo distinguunt, in medium protulit: nec perspicuitatem illam, in definitionibus suis aliis

aliis plerisque, miratu prorsùs dignam, in dyspepsia definienda sanè ostendit.

Definitionem Dyspepsiæ veruntamen CULLENO prolatam, defectibus ejus nihil obstantibus, definitionibus morbi omnibus aliis, me haud pœnitet anteponere.

Professor expertus pariter ac eruditus, in hoc morbo definiendo, verbis sequentibus utitur;

"*Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora, saltem, vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio, vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo**."

HISTORIA

* Vide *Nos. Method.* Gen. Morb. xlv.

HISTORIA MORBI.

Dyspepsia nauseæ, vomitui, intestinorum inflationi, ventriculi distentioni sæpissimè, sæpiùs etiam alvo adstrictæ, sese comitem præbet. Quin et, inflatio aut cum cruditate, nausea, vomitu, difficultateque deglutiendi levi, comitatur; aut cum angore summo, ægritudineve prementi, suffocationem, nervorum distentiones, interdum minitante; aut denique, cum vocis suppressione, vertigine, cordisque palpitatione, consociata est. Alvi durities, in hoc morbo ferè perpetua, inflatione intestinorum haud raro, exasperatur; cibo in ventriculo sumpto, inflatio aliquid levaminis interdum subit, sæpiùs verò malum ingravescit.

Dyspepsiâ laborantes ructibus, vel, impetum horis incertis facientibus, vel, circuitum certum habentibus, quotidie tentantur. His autem cum ructibus, vertigo, singultus, ventriculique ardor, societatem faciunt, viresque eorum,

rum, haud raró tam intenduntur, ut a convulsionibus parùm discrepent.

Inter indicia morbi hujusce prima, nausea, anxietas, somnusque matutinum versus perturbatus, annumerentur oportet. Quinetiam, lingua manè sordibus obducitur; saliva plus justo lenta secernitur, ægerque oris viscositate afficitur: signis hisce, ponderis plenitudinisque in ventriculo sensus, anorexia, cibumque post sumptum molestia, plùs minùsve gravis; animi perturbatio, flatibusque intestinorum, superveniunt.

Dyspepsiâ ægrotantibus venter plerumque constitit; alvi veruntamen adstrictio per diem unum alterumve, vices cum diarrhœa molestissima mutat, doloresque colici urgent. In hoc statu rerum, dejectiones colorem viridem induunt: massulæque fœculentæ et rotundæ et induratæ, *scybalæ* videlicet, sedes maxima ex parte constituunt. Quinimo, scybalæ dejectæ odore fœtido solito plerumque vacant; hæque mutationes

mutationes ventriculi acorem pro causa unica facilè agnoscunt.

Verumenimvero, fæces illæ induratæ, summo cum dolore sæpiùs dejiciuntur, nisusque inter eas expellendi, mucus urethræ simul cum alvinis excretionibus depellitur. Quin et, si aliquando alvus per dies quosdam, aut pigra, aut parciùs justo subducta, pleniùs tandem moveatur, ægrotis languore magno, molestiâque singulari, in abdomine tentatur, alvoque hoc modo purgata, urina pallida, paulò pòst, sæpiùs redditur.

Morbo progrediente, dolor ventriculi, et gravior, et ferè perpetuus evadit; alimentaque vel plerumque vel semper rejiciuntur: ægrotus necnon liquorem acidum, interdum verò amarum, interdum etiam rancidum, quodammodoque putridum evomit.

Dyspepsiâ correpti, acore ad os assurgente, sæpiùs premuntur; acori verò huicce, nausea, vomitus, dolor, potiùsve angor, ponderis in epi-

gastrio

gastrio sensus, cibi appetentia, modò plus justo aucta, modò verò nulla, inflatio, capitis dolor, pituitaque vel ferè vel semper accedunt: ventriculi acore tentatos, sæpiùs cum terrore e somno expergisci, insuper observandum est.

Quinetiam, sensus ardoris molestus ventriculi, acorem sæpissimè comitatur, nec rarò, acore parùm urgente, ægrotum vexat. Singultus, ructus, salivæque fluxus insolitus, ardori huicce sese comites frequentiùs exhibent.

Prætereà, fluidum crudum, dyspeptico ructatum, in modum tedæ aliquando accenditur; historiamque hominis morbo nostro laborantis, cujus ructus in flammas reverà abiêre, uxore scilicet suâ, lucernam per faciem ejus inter ructandum, fortuitò transvehente, Whitley Stokes, M. D. Med. Prax. in T. C. D. Professor, auditores ejus certiores fecit.

Porrò, dyspepsiâ ægrotantes animam fœtidam sanè exhalant, linguæque eorum et albidæ et sordidæ, et etiam siccæ evadunt; uvula velumque palati pendulum, plus justo relaxantur.

Quinetiam,

Quinetiam, dolores frontem transcurrentes, sæpiùs urgent, doloribusque multùm ingravescentibus, oculi caligine et obscurantur et offunduntur; aurium tinnitu dyspepsiâ ægroti manè corripiuntur; constitutioneque corporis nimis sentiente præditis, cor promptiùs palpitat.

Porrò, ægris quibusdam anima deficit; cutis sicca pallidaque evadit, spiritusque crebrò difficulterque trahitur. Ictus cordis arteriarumque nonnunquam tardi, plerumque verò frequentes, semperque debiles fiunt. Artus, ventriculique regio, frigescunt. Uvula, velumque pendulum palati, quibusdam in exemplis, ita relaxantur, ut molestiam ægrotis summam facessant. Labia colorem proprium amittunt.

Dyspepsiâ ægrotantes noctes insomnes inquietasque sæpiùs agunt: exigua saltem requies est, somnusque ægrotis interpellatur, modo quo eos vix ac ne vix quidem reficiat.

Dyspepsiâ laborantes quidam urinam rubram parciùs justò reddunt: alii verò uri-

næ pallidæ profluvium faciunt: alii autem fluidum hocce excrementitium dotibus propriis præditum, quantitate debitâ evacuant.

In morbi hujusce stadiis provectioribus, corpus magnoperè marcet; ægroti a motu, post pastum potissimùm, multùm abhorrent: corpus laboris parùm patiens, exercitatione levissimâ ingravescit; facies labiaque colorem pallidum induunt; oculi hebescentes quasi humorem innatant: animum diligenter et attentè diutiùs incumbere, ne ægrotos quidem penes est; memoria ægros facilè fugit; ad rerum seriem digerendam haudquaquam valet, nec absque molestiæ sensu exercetur; dotes veruntamen intellectûs aliæ, neutiquam pariter afficiuntur.

Dyspepsiâ veruntamen correpti, indole mitissima anteà præditi, nunc morosè animisque commotiores evadunt. Interdum ægrotus mœrore afflictus, spem prorsùs abjicit; interdumque verò, forsitanque sæpiùs, mœstitiâ metuque omninò vacat.

Generis

Generis nervosi irritabilitas præter modum aucta, ægroto multum molestiæ sæpiùs facessit; quippe quæ, ex causis levissimis, motus et corporis et animi abnormes violentosque, tremores generales potissimùm facilè gignat, motumque cùm ventriculi, cùm etiam intestinorum adeò augeat, ut vel vomitus vel diarrhœa protinùs superveniat.

In hoc statu rerum, aut ventriculus, stimuli cibi prorsùs impatiens, ne quantitatem alimentorum minimam retinere quidem potest: aut motu intestinorum peristaltico præter naturam aucto, ingesta incocta, crudaque citiùs per canalem transeunt.

Dyspepsiâ laborantes valetudini suæ perperàm, nimisque diligenter serviunt; eaque de causa, nec corpus sub divo ritè exercent, nec animum satis laxant, modo quo viribus et illius et hujus integris, optimè fruantur.

Quinetiam, quibusdam in exemplis inveteratis, glandulæ salivales nimis proritantur, ægrotique

grotique salivæ profluvio laborant; haud secus ac, si hydrargyrus effectus solitos, in hæc organa præstitisset.

Præterea, morbus de quo agitur, malis dirioribus viam facilè sternit, dyspepticique hydrope aut citiùs aut seriùs corripiuntur: humores, scilicet, serosi in telam cellulosam corporisque cava, effunduntur: crura, manus, et facies, intumescunt, signaque hydropis alia, doloribus abdominis gravibus stipata, sese ostendunt. Quin et, febris hectica, sudoribus nocturnis, diarrhœaque colliquativa, ægrotos miserandos, tandem invadunt, januamque sepulchri promptiùs aperiunt.

Uteri morbos ferè omnes ventriculo nocere; fœminisque dyspepsiâ laborantibus, catamenia et parciùs justo aut enormiter profluere, insuper observandum est.

Historia morbi hoc modo tradita, pauca de diagnosi disseramus oportet.

DIAGNOSIS.

Ventriculus, præter illa mala, quæ sui propria sunt, cum partibus corporis aliis multis, sæpiùs simùl dolet.

Dyspepsiæ cum morbis sequentibus, *Hepatitide*, videlicet, *chronica; Calculo*, sive in vesica fellis, sive in ductibus hepaticis, in ductu cystico, vel coledocho communi impacto, sive denique in vesica urinaria hærente; *Podagra atonica; Hypochondriasi; Chlorosique*, quoddam consortium sæpiùs est. Quinimo, morbus noster *Phthisi pulmonum, Scirrhoque pylori* interdum et antecedit, et etiam comitatur.

Inter affectiones morbosas hasce diversas, distinguere conabimur.

1. *Hepatitis chronica.*—Quod ad diagnosin inter morbum nostrum, hepatitidemque vetustam quidem pertinet, seu ventriculus seu hepar primùm

mùm se malè habeat, viscus sanum in partem vitii probabiliter citiùs sæpè venturum esse, imprimis observandum est.

Quin et, hepatitide chronicâ correpti, dolorem fugacem mitemque, quem ventriculo falsò referunt, sæpiùs conqueruntur. Dolor verò hicce, aëre per os erumpente, mitigationem facilè subit: Parvi quidem habendus est, quippe qui, plerisque in exemplis periculi expers reverà sit. Propter autem levamen, quod ructus crebri ægris afferunt, sedem ejus in ventriculo esse, ægroti sese persuasos habent, cruditatemque in hoc organo, pro causa mali promptiùs agnoscunt.

Verumenimverò, quin mitigatio doloris hæcce, cui ructus frequentes causam præbent, a pressura hepatis in ventriculum distentum, quæ, mole ventriculi, ob aëra ructatum, diminuta, ritè tollitur, pendeat, nullus equidem dubito. Contrà autem ea, dolor, qui in hepatitide chronica, eum sedem in ventriculo habentem refert, magis erraticus, situm ejus sæpiùs mutat,

tat, claviculamque, dextrique humeri acromion, nonnunquam petit.

Quinimo, in hepatitide vetusta, jecur ipsum haud rarò plus justo tumet; pyrexia aut nulla, aut vesperi lenissima; flavedo et cutis et oculorum; sensus quidam vel plenitudinis vel gravitatis in hypochondrio dextro; decubitus in latus sinistrum plùs minùsve difficilis; dolorque, hypochondrio dextro presso, plusculùm auctus, hepatitidem chronicam satis superque, ni fallor, distinguunt.

Denique, si de morbi natura medico scrupulus adhuc restiterit, ægrotantem ritè interroget, num, si in plagis terræ calidioribus peregrinatus esset, necne, deque hac re certior factus, ne diutiùs quidem ambigere potest.

2. *Calculus biliarius.*—Prætereà, dolores ventriculi molestos, vel in icterum sæpiùs desiisse, vel, calculo biliario dejecto, decessisse, scriptores medici nos certiores faciunt. His itaque in casibus, causa molestiæ tandem in conspectum

venit,

venit. Sin autem nullæ ex causis dypepsiæ propriis in culpa fiant, dolorque nec a veneno quoddam, nec a cibo minùs salutari, ortum duxerit: si molestia interdum ferè impatibilis sit, at intermissiones diutinè sæpiùs habeat; si denique ægroti valetudine cæteroquin bonâ fruantur, calculum in ductibus biliariis hærentem, suspectum habere jure liceat.

3. *Calculus in Vesica.*—Calculo in vesica laborantes, cupiditate urinam reddendi crebrâ, tentantur, fluxusque lochii in medio cursu sæpiùs interrumpitur; dolor calorque mox post urinam redditam urgent; tenesmus, dolorque ad urethræ extremitatem, ægros premunt; ægrotantes aliquando enuresi, aliquando verò ischuriâ, laborant; pulsus naturalis evadit, ægrotique valetudine alioquin sanâ fruuntur.

Quinetiam, signa illa omnia equitando plerumque, interdum verò ambulando, multùm exasperantur; ægrique necnon hæmaturiâ post motum, equitationem utpote, sæpiùs corripiuntur: symptomatis autem hisce plerisque, dyspepsiâ laborantes vacant.

Verùm

Verumenimverò morbus calculosus, pariter ac dyspepsia, et, acidorum vegetabilium usu, graviores redduntur; et, remediis alcalinosis ritè maturèque in auxilium adhibitis, haud rarò mitiores evadunt.

Quin et, hæ affectiones morbosæ, et una et altera, causis omnibus, quæ perspirationem insensibilem, vel diminuunt, vel prorsùs impediunt, indies ingravescunt.

4. *Podagra atonica*,—mala sua cum ventriculo sæpiùs communicat: Morbusque de quo agimus, speciesque podagræ hæcce, quippe quæ impetum in ventriculum sæpiùs faciat, similitudinem maximam inter se reverà habent; eaque de causa, illa ab hac, summa cum difficultate distinguenda venit.

Verumenimverò in diagnosi inter hos morbos affines statuenda, ratio ad diathesin arthriticam, quæ familiis quibusdam inest, habeatur oportet. Ægroto etenim, qui proclivitatem ad podagram hæreditariam habet, quique annum

ætatis trigesimum exegit, symptomatis dyspepsiæ inopinatè correpto, quin podagra signis hisce ansas præbuerit, ne anceps quidem hærerem; eòque magis in hac sententia essem, si pedum juncturæ ante ventriculi affectiones quàm invaserant, ægro doluissent.

Quinetiam, podagra atonica et, stomachum violentiùs plerumque tentat, et, interdum doloribus spasmisque partium trunci corporis diversarum comitatur. Viscera thoracica necnon aliquando laborant, palpitationes cordis violentes, animi deliquia, et asthma, podagrâ atonicâ ægrotantes, haud raró opprimunt.

Prætereà, cephalæa, vertigo, paralysis, sive partialis, sive magis generalis, arthritide atonicâ ægroti mala in cumulum sæpiùs augent.

Podagram atonicam sæpiùs ac dyspepsiam, impetum post intervalla plùs minùsve certa, facere, insuper observandum est.

Medicus denique, dyspepsiam a podagra dis-

cernere,

cernere, summa cum cura, conetur oportet, propterea quod, vinum, stimulantiaque, alia diffusibilia, in podagra atonica certò certiùs adhibenda, inter lædentia in dyspepsia jure enumeranda sunt.

5. *Hypochondriasis.*—Sequuntur notæ, quibus hypochondriasin a dyspepsia distinguere conarer. Ad illam proclives, temperamento melancholico sæpiùs præditi sunt; huic verò obnoxii temperamento sanguineo frequentiùs gaudent.

Tanta autem est inter signa temperamentis hisce propria, quanta maxima potest esse distantia. Illis etenim temperamento sanguineo præditis, solida viva laxa; pili molles succique pleni; vasa ampla, quæ humoribus redundunt; vultus rubicundus; vis nervia plus justo pollens; fibræ et mobiles, et irritabiles, et etiam debiles, insunt.

Contra autem ea, melancholici, solida viva rigida; pilos duros; vasa parciùs humoribus abundantia, sibi vindicant. Hinc ratio patet, ob

ob quam, et sicci et macri evadunt: arterias parvas habent; pallidi fiunt; venis et plenis et turgidis gaudent.

Vultus colorem lividam sæpiùs melancholicis induit; fibræ stimulis, nisi si liberiùs adhibeantur, ægriùs parent; iræ, affectionibusque animi aliis, minimè dediti; semel autem moti mentis perturbationibus, ultionis impulsui constantissimi; propositi etiam tenacissimi; rebusque vel uni, vel paucis, per spatium temporis longum, summa cum perseverantia, melancholici intenti sunt.

Ratio ad phænomena hæcce ritè habita, ni fallor, faciet, ut medicus illos, qui vel dyspepsiâ, vel hypochondriasi, periclitantur, facilè distinguere possit.

Quin et, symptomata et hujus et illius, etiamsi haud paucis in rebus sibimetipsis invicem simillima sunt, in aliis multùm discrepant. Acor etenim inflatioque in hypochondriasi graviora, ac in dyspepsia forsitan evadunt. Hypochondriaci

pochondriaci anorexiâ, necnon rariùs, affectionibus spasmodicis violentioribus; metu mœstitiâque longè longèque gravioribus, corripiuntur.

Quinimo, in dyspepsia alvus modò laxa, modò pigra; in hypochondriasi verò semper suppressa est. Signa denique dyspepsiæ propria pleraque debilitatem, stomachique atoniam pro causis præcipuis facilè agnoscunt; symptomata verò hypochondriasis a vi nervosa torpida, stimulisque parùm ritè parente, potissimùm pendere videntur.

6. *Chlorosis.*—Ventriculus vel dolore, vel fastidio rariùs vacat, quandocunque catamenia haud benè respondent Quod autem ad discrepantiam inter morbum nostrum chlorosinque quidem attinet, hæc in medium ponere velim. Cutis pallorem vel decolorationem; venas parciùs justo plenas; palpitationem; asthma, signaque alia haud pauca, utroque morbo laborantes sæpiùs infestare, sanè confitendum est.

Verumenimverò,

Verumenimverò, corporis tumor mollis, aut rarò aut nunquam, nisi si interdum finem versus, in dyspepsia sese ostendit. Affectio autem hæcce sese chlorosi vel ferè vel semper comitem ab initio præbet. Dyspepsiâ ægroti anorexiâ aut semper, aut plerumque tentantur; in chlorosi verò, cibi appetitus magnus, desideriumque necnon rei non esculentæ summum, phænomenon quidem miratu dignum, explicatuque difficillimum, sæpissimè urgent.

Catamenia denique in chlorosi retinentur; in dyspepsia verò idiopathica ritè profluunt. Ratione ad discrimina hæcce ritè habita, animus medico in morbis hisce uno ab altero dignoscendis rarissimè quidem pendebit.

7. *Scirrhus pylori.*—Inter morbum de quo agitur, pylorique scirrhum, diagnosin statuere, medicum penes facilius erit, si ad symptomata sequentia rationem ritè habuerit. Pyloro scirrho correpto, ægrotus dolore fixo perpetuoque, in hypochondrio dextro, post pastum pressuraque potissimùm aucto, angit.

Quin et, manu hypochondrium dextrum premente, tumor in scirrho pylori haud raró percipitur; æger calorem in parte laborante, vel semper vel plerumque, sentit; alimentorum concoctio difficiliùs perficitur; vomitus frequentiùs urget; alvusque pertinaciùs supprimitur.

Quinimo, in diagnosi inter scirrhum pylori dyspepsiamque idiopathicam deducenda, rationem ad notas sequentes habeat, medicus oportet.

Scirrho pylori laborantibus, corpus magis quàm dyspepsiâ ægrotis marcet; et vomitus, et intestinorum excreta, speciem insolitam præ se ferunt; ægroti, videlicet, sanguinem colore vario gaudentem; materiam interdum nigricantem, *atram bilem*, olim perperàm nuncupatam, aut sursùm aut deorsùm sæpiùs ejicit.

Quinetiam pyloro aut inflammatione correpto, aut in suppurationem abeunte, pus vel vomitu rejicitur, vel per anum excernitur.

Hisce

Hisce de dyspepsia dignoscenda in lucem prolatis, causas morbum continentes, nunc inveniamus oportet.

CAUSÆ EXCITANTES.

Inter causas quæ Dyspepsiam excitant, sequentes jure recensendæ sunt.

1. *Intemperantia in usu Vini.*—Vini ob usum nimium, divitiores dyspepsiâ sæpiùs corripiuntur. Opulenti, pauperes, intemperantiâ in spiritûs stillatitii usu, stomachos suos lædere; cùm ipsi organa concoctionis vino roborant, sibi persuasum habent. Spiritus ardentis usum nimium corporis constitutioni injuriis gravioribus magisque exitiosis certiùs citiùsque, ac vini intemperantiam futurum esse, non inficias ibo. Quin autem usus vini intemperatus dyspepsiæ viam promptiùs sternat, ne anceps equidem hæreo.

Quinetiam

Quinetiam, vinum moderatiùs sumptum, acorem in ventriculo promptiùs gignit. Liquor hicce fermentationem acidam celeriùs subit, parciùsque haustus ventrem constringit; porrò prandium post, vel soporem vel somnum inducit, e quo homines expergiscentes, vertigine, sapore ingrato, siti, signisque stomachi cruditatum aliis compluribus, tentantur.

Hinc ratio patet, quare vino dediti noctes insomnes inquietasque sæpiùs agunt, manèque morositate corripiuntur.

Verumenimverò, si vinum indies moderatiùs haustum, corporis constitutioni injurias hasce sæpiùs affert; immoderatiùs sumptum, noxas graviores in corpus certò certiùs diffundit. Inter has, *apoplexia*, *paralysis*, *insania*, *podagra*, *impotentia*que *virilis*, recensendæ veniunt.

2. *Spiritus stillatitii usus nimius.*—Inter causas dyspepsiæ excitantes, in usu spiritûs ardentis intemperantiam, collocare velim. Liquores spirituosi primùm stimulant, deinde facilè sedant.

Hi etenim satis liberaliter adhibiti, corpus calefaciunt; ictus arteriarum, et frequentiores, et validiores reddunt; facultatem imaginandi magis vividam faciunt, hilaritatemque summam promptiùs movent.

Verumenimverò, effectus longè longèque diversos tandem præstant. Tarditas etenim et gravitas sensuum; imaginatio a veritate pravè detorta, deliriumve; stupor; ad somnum proclivitas, somnoque ad finem perducto, sensus frigoris; debilitas corporis generalis, animusque demissus, signa excitationis hæcce brevi subsequuntur.

Stimulos viam debilitati promptiùs sternere, hancque illis, pro rata parte, semper respondere, inter medicos omnes, ni fallor, convenit. Rebus sic stantibus, quin liquores stillatitii, sæpiùs copiosiùsque quàm sat est, sumpti, ventriculum quàm maximè irritabilem infirmumque, aut citiùs aut seriùs reddant, vel pauci vel nemo dubitare possunt.

Rem

Rem ita se habere, mortalium horum miserandorum exempla, qui liquoribus hisce sorbillandis solummodò intenti, et ingenium hebetant, et corpus debilitant, satis superque, me judice, testantur: E validis, etenim, brevi invalidi; e cibi appetentibus, ejusdem fastidiosi; e tremoris omnigeni expertibus, et irritabiles, et tremuli, et paralytici, certò certiùs progressu temporis evadunt. Spiritus autem stillatitius aquâ ritè dilutus, modo quo vini vires æquet, corpori forsitan minùs nocebit.

Quibusdam veruntamen in exemplis, ventriculus spiritûs stillatitii pauxillum facilè ferre potest. Hisce igitur in casibus, etiamsi spiritus pro ægro certiùs ac vinum facere videretur, moneo, ut medicus illum in hujus locum cautiùs substituat, propter eà quod, et illecebra, finem modumque transeundi longè magis pollet, et habitus usu genitus ægrum promptiùs allicet.

3. *Opium.*—Medicamentum hocce eximium, liberiùs sumptum, viribus quàm maximè sedantibus gaudere, partemque, cui applicetur, debilem,

bilem, immobilem, sensûsque prorsùs expertem reddere, experimenta perplurima satis superque demonstrant. Et apud Turcas, et etiam apud nostrates, exempla multa habemus, in quibus opium ubertim adhibitum, appetentiam cibi prosternere consuevit. Substantiam hancce liberaliter sumere, moris illorum est, si quando fatigationem, jejuniumve diutiùs subituri sunt. Quin opium præparataque ex eo, in ventriculum copiosiùs, sæpiùsque justo ingesta, vires ei magnoperè convellant, vel pauci vel nulli, ratione ad phænomena hæcce ritè habitâ, dubitare possunt. Substantia hæcce humores in caput facilè derivat, alvique suppressionem, pallorem, corporisque maciem, (ei deditis paratiùs), procreat. Opium certiùs nocere, quandocunque vires ejus in totum corpus pollent, insuper observandum est.

4. *Infusum foliorum Theæ, foliorum Theæ viridis potissimùm.*—Foliorum horum infusum, inter morbi hujusce causas excitantes jure enumerandum venit. Opinionem Roberti White, M. D.

viri

viri jure magni nominis, Academiâque hacce Medicinæ Theoreticæ olim Professoris, de viribus theæ nocivis, in medium proferre, et lubet, et forsan juvabit. Medicus hicce eruditus expertusque, plantam hancce, vi narcoticâ præditam esse, clarè luculenterque ostendit. Auctor noster, de thea disserens, verbis apud calcem paginæ legendis utitur *.

Sententiam Doctoris White, Cullenus, cui de medicina optimè meritus est, experientiâ propriâ satis corroborat. Medici hujusce eximii

* "I once imagined tea to be in a great measure unjustly accused, and that it did not hurt the stomach more than an equal quantity of warm water; but experience has since taught me the contrary. Strong tea drunk in any considerable quantity in a morning, especially if I eat little bread with it, generally makes me fainter before dinner, than if I had taken no breakfast at all. At the same time, it quickens my pulse, and often affects me with a kind of giddiness. These bad effects of tea, are more remarkable when my stomach is out of order."—White's Works, p. 642.

eximii verba, in calce etiam invenienda, citare liceat *.

Quin et, vires sedantes theæ inesse experimenta Jacobi Carmichael Smyth, M. D. procul dubio demonstrant. Scriptor etenim medicus hicce, infusum theæ viridis forte, et nervorum sensum, et musculorum irritabilitatem, aboluisse, nos certiores facit †.

Fœminæ in urbibus domicilium habentes haud paucæ, infuso hocce maxima ex parte aluntur. Hinc causa in aprico est, ob quam oppidanæ ad dyspepsiam admodum proclives vivunt.

5. *Coffea.*—Fructûs coffeæ infusum, haud æquè ac thea ventriculo nocet; alvus veruntamen promptiùs supprimit.

6. *Nicotiana*

---

* "I have a stomach very sensible, which I have found to be hurt by tea, which I attributed to the warm water; but having used some indigenous plants, I found no harm ensue; and this I have repeated above fifty times."—Vide Cull. *Mat. Med.* Vide etiam Lettsom.

† Vide Smyth, De Actione Musculari.

6. *Nicotiana Tabaccum.*—Vires et narcorticæ, et stimulantes, plantæ huicce manifestè insunt. Ventriculo, intestinis, visceribusque internis aliis, liberè adhibita, organa hæcce validiùs stimulat; naribus muci, glandulis salivariis fluxum salivæ, haud parùm auget. Injurias insignes, quas, plantæ hujusce folia, sive mansa, sive fumi formâ sumpta, ventriculo facilè inferunt, potiùs ab jactura salivæ magna, quàm a viribus eorum narcoticis pendere, sunt qui contendunt.

Verumenimverò, hi scriptores in errore, ni fallor, versantur. Quin saliva, ad concoctionem ciborum promovendam prorsùs necessaria sit, nullus equidem dubito; nicotiana attamen, mala eadem omnia, pleraque nimirùm dyspepsiæ signa, in illis, qui vel parùm vel nil expuunt, haud rarò gignit.

Quin et, homines qui plantâ hâcce, sub forma pulveris, utuntur, ideòque sputo ex toto ferè vacant, haud multùm minùs quàm alii dyspepsiæ symptomatis laborant. Prætereà, si pulveris hujusce aliquantulum in ventriculum descendat,

scendat, anorexia, signaque dyspepsiæ alia, nunquam non oriuntur. Rebus ita sese habentibus, nicotianam sub quavis forma adhibitam, ad atoniam debilitatemque ventriculi gignendas quamplurimùm conferre, non est cur dubitemus.

7. *Amara.*—Remedia hæcce, dyspepsiam depellendi consilio sæpiùs adhibemus, votisque nostris plerumque satis respondent. Quippe quæ, et ventriculum confirment, et cibi appetitum moveant. Crebriùs attamen aut liberiùs adhibita, debilitatem in ventriculum summam infundunt. Ea itaque de causa, medicorum optimorum moris est, amara, per spatium temporis longum nunquam adhibere; at potiùs modò dare, modò ab iisdem abstinere.

8. *Ingluvies.*—Gulæ improbè dediti, dyspepsiæ præ aliis obnoxii sunt. Quin et, voracitas ventriculo promptissimè nocet, propterea quod, alimenta nec ritè manduntur, nec saliva benè permiscentur, ideòque concoctu difficilia evadunt.

Præterea, alimenta mole eorum contractiones

ventriculi

ventriculi movere, omnibus liquet. Sin verò plus cibi quàm par est, quotidie ingeratur, et motus musculares justo crebriores, et distensionem ventriculo fore, satis superque constat; fibræ autem corporis musculares, distensione nimiâ, sæpiùs gravissimè debilitantur. Edaces, igitur, ebriososque, debilitate ventriculi perpetuâ laborare, mirum nobis videre non debet. Hinc ratio patet, quare illis, qui genio nimis liberaliter, singulis diebus, indulgent, ventriculi atonia, vix ac ne vix quidem, unquam vacabit *.

8. *Stimulorum solitorum defectus.*—Stimulo quolibet sæpiùs adhibito, ventriculum deficiente, nausea, sensus molestiæ, signaque dyspepsiæ alia, promptiùs superveniunt. Homines, videlicet, aut cyathum vini, spiritûsve stillatitii, certâ horâ sumere, aut etiam prandere, assueti, stimulo hocce usitato, ob necessitatem aliquam

* "Every time the stomach is loaded, its strength is impaired, and its nerves disordered."—Vide WHITE on Nervous Disorders, p. 343.

civilem, prætermisso, molestiæ sensu, ventriculive perturbatione, facilè corripiuntur. Succum gastricum salivamque ad alimenta coquenda prorsùs necessaria esse, nemo est qui dubitat. Fluidis igitur hisce, vel justo parciùs secretis, vel dotibus mutatis, ventriculus laboret oportet. Quin et, bilis in intestinis defectus, ut in ictero fit, ventriculi functiones haud parùm impedit.

9. *Vita sedentaria.*—Homines doctrinæ studiosè cupidi; opifices sedentarii, sutores, nimirùm, et alii, dyspepsiâ promptissimè corripiuntur; quippe qui corpus haudquaquam ritè exerceant. De studiosis BAGLIVI observantissimus memorat, "*studiis operam dantes, iisdemque paulò acriter incumbentes, ex ventriculo quoque laborare primùm incipiunt* *."

10. *Emetica crebriùs adhibita.*—Inter nisus ad vomendum, motus ventriculi peristalticus vehementiùs invertitur, modo quo organum hocce

* Vid. BAG. Oper. Lib. I. cap. xiv.

hocce contractionibus validissimis convellatur; hæ verò contractiones sæpiùs iteratæ, tonum ei certissimè omninò perdunt. In hoc statu rerum, in sententiam CELSI me haud pœnitet ire, qui commonet, " *ne quis, qui valere et senescere volet, hoc*" (vomitum scilicet) " *quotidianum habeat* *." Quinetiam, pleraque emetica, quæ in usum adhibita sunt, viribus plùs minùsve sedantibus sanè gaudent, hocque modo, ventriculo nocere facilè possunt.

11. *Corporis positio prava.*—Studiosi inter legendum pariter ac scribendum, corpus plùs justo inclinant. Hinc ratio patet, quare, ventriculus compressus damno facilè afficitur.

12. *Studium intentum.*—Mens in rerum aliquarundam studium plùs justo incumbens; animo scilicet in rebus quibusdam exercitato, et in his multùm atque sæpè versato, vires vitæ cogitationibus absorbentur, atoniamque ventriculo infundunt. Ad vim animi affec-

tum

* Vide CELS. *De Re Med.* Lib. I. cap. iii.

tuum et patefaciendam et illustrandam, BAGLIVI verba, infrà in nota legenda, citare liceat *.

Quin et, corpus mentemque, nec infra nec supra modum exercentes, valetudine sanâ certiùs fruuntur. Meditatio attamen plùs justo intenta, corporis sanitati potissimùm obest.

13. *Generis nervosi irritabilitas*—quasdamque ob causas præter modum aucta, dyspepsiâ laboranti multum molestiæ facessit, quippe quæ, ex causis levissimis, motus et corporis et animi abnormes violentosque, tremores generales potissimùm, facilè gignat, motumque, cùm ventriculi, cùm etiam intestinorum, adeò augeat, ut vel vomitus vel diarrhœa, protinùs sequatur.

* "Qui laborant animi pathemati, corripi potissimùm solent morbis ventriculi, et in cæteros observamus in mœrentibus, qui conqueruntur, primò de ventriculi languore, mox verò de inappetentia, oris amaritia, et siti circa horas matutinas, cruditatibus acidis et nidorosis, flatibus, tensionibus hypochondriorum, aliisque læsæ chylosios malis."—Vide BAGLIVI, id. loc.

sequatur. In hoc statu rerum, vel stomachus stimuli cibi prorsùs impatiens, ne quantitatem alimentorum minimam retinere quidem potest, vel motu intestinorum peristaltico præter naturam aucto, ingesta cruda incoctaque, citiùs justo per canalem alimentarium transeunt.

Præterèa dyspepticus indole mitissimâ anteà præditus, nunc morosus, animoque commotior evadit. Interdum ægrotus mœrore afflictus, spem prorsùs abjicit; interdumque verò, forsitanque sæpiùs, mœstitiâ metuque omninò vacat.

14. *Somni aut excessus aut defectus.*—Illi qui vel somno plùs justo indulgent, vel de multa nocte vigilant, dyspepsiâ frequentissimè laborant.

15. *Veneris excessus.*—Homines voluptatibus venereis nimis dediti, ad dyspepsiam præ aliis proclives evadunt. Partus necnon frequentiores ventriculum lædunt, dyspepsiamque movent.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Priùs ad causam dyspepsiæ proximam exponendam nosmetipsos quàm accingimus, proposito nostro haud alienum erit, paucissimis dicere, quibus viribus alimenta concoctionem subeunt.

Experimentis Spallanzani, Monroii, Stevensii et Hunteri, cognitis, ventriculum humorem quendam, *succum gastricum* dictum, suppeditare, satis superque constat.

Succi verò hujusce naturam nondum satis compertam adhuc habemus; verisimile attamen est, quod et, in generibus animalium diversis, et, in iisdem animalibus, temporibus diversis, pro cibi qualitatibus diversis, variat.

In animalibus multis, in avibus potissimùm, dotes acidæ succo huicce inesse videntur. Cl.

J.

J. HUNTER de succi gastrici natura disserens, verbis apud calcem legendis utitur*.

Si experimentis SPALLANZANI fides habenda sit, succus ventriculi humani saporem salsem neutiquam habet; parùm inflammabilis viribus antisepticis gaudet. Corpore sano succum gastricum, qualitatibus nec acidis, nec alcalinosis, præditum; at neutrum habendum esse, physiologus idem expertissimus sibi persuasum habet. Vires

* "In most stomachs, there is an acid, even although the animal has lived upon meat for many weeks." Physiologus idem, jure magni nominis, libri ejus eximii lectores posteà docet: "The gastric juice is a fluid somewhat transparent, a little saltish or brackish to the taste. Whether this saltishness is essential, or only accidental, is not easily determined. Indeed, there are very few of our secretions which have not some salt in them; for it is found in the tears, the urine, the secretion of the glans penis, of the glands of the urethra, and in the first and last milk secreted in the udders of animals. The only trial to which I have ever put the gastric juice, to ascertain if it was acid, was with the syrup of violets; and in many of the trials, the colour of the mixture was changed to red."—Vid. HUNTER *On the Animal Economy*, p. 163. & 172.

Vires et putrefactioni alimentorum in ventriculo obviam eundi, et etiam putredinem eorum corrigendi, in hoc succo inesse, a physiologi ejusdem ingeniosissimi periculis solertissimè factis patet.

Vis solvendi tam insignis, tamque pollens, succo huicce est, ut, eum pro menstruo universali *Alcahest*, nimirùm, chemici quidam recentiores sanè habeant.

In gradu caloris debito, alimenta omnia, seu animalia, seu vegetabilia, fibras musculares, membranas, tendines, cartilagines, et etiam ossa, nisi duriora, succus gastricus humanus et emollit, et solvet.

Ventriculum post mortem, succo ejus proprio plùs minùsve erodi; vitâque suâ propriâ, a succi hujusce actione conservare, JOANNES HUNTER, œconomiæ animalis peritissimus, sibi persuasum habebat; propterea quod, succum gastricum sontium strangulatorum, aliorumque subitò necatorum, qui morbo nullo anteà laboraverant,

traverant, ventriculi tunicas quibusdam in partibus, foraminaque in aliis, ad aperturam majorem penitùs effodisse inveniebat*. Me attamen pœnitet, physiologi hujus de hâc re sententiæ esse, idcircò quia, organo hocce ita eroso, extremitates vasorum exiles ruinâ implicentur, arteriisque injectis, fluidum extravasatum nobis ante oculos versetur, oportet. Rem autem minimè ita sese habere, ab experimentis Doctoris YELLOWLY facilè patet. Medicus etenim hicce, pericula multa, causâ hoc phænomenon investigandi fecit, pars fluidi injecti nulla, ventriculis etiam tenuissimis, in conspectum venit†.

Alimenta in ore trita, cum saliva commista, aëreque penetrata, transituque per œsophagum ritè calefacta, in succo gastrico solvuntur, et in humorem homogeneum, *chymum* dictum, mutantur.

F Massa

* Vide HUNTER On Animal Economy, p. 186. & 187.

† Vide Med. & Chir. Transactions, tom. iv. p. 402-3: et seq.

Massa alimentaria, hoc modo soluta mutataque, pylorum transit, et in duodeno, cum bile pancreatisque succo commiscetur. Liquoribus autem hisce omnibus ritè mistis, partes alimentorum nutrientes, a partibus excrementitiis præcipitatione verâ chemicâ separantur, humorque lacteus formatur, qui vasis chylificis absorptus, deinque per ductum thoracicum in venam subclavianam sinistram infusus, latusque cordis dextrum permeans, in pulmones transit, ibique in sanguinem convertitur; mutatione verò hacce, ad munera propria fungenda ritè aptatus, arteriamque per magnam quoquoversum distributus, corpus totum, et alit, et sustentat.

Hisce de succi gastrici natura dotibusque propositis, oratio huc redit, unde deflexit.

Cutis dyspepsiâ laborantibus bile sæpiùs suffunditur, alvusque biliosa excernit. Hinc ratio patet, quare, scriptores medici quidam, bilem in ventriculo duodenoque, aut morbosè accumulatam, aut diutiùs retentam, pro causa pravæ ciborum concoctionis proxima habent.

Fibrarum

Fibrarum musculorum ventriculi ipsius debilitatem atoniamve, CULLENUS potissimùm vituperat; habitum veruntamen succi, quem stomachus suppeditat, malum, secretionemve ejus justo parciorem, in partem sceleris venire, facilè agnoscit.

Verumenimverò, fibrarum ventriculi carnosarum imbecillitatem, causam nequaquam esse, quæ organum hocce, cibos coquendi impotens reddit, nisi si quatenus, ad dotes copiamque humoris, cujus est alimenta et emollire et solvere, mutandas valet, adducor ut credam; eòque magis animus ad opinionem hancce inclinat, quòd succo huicce, modò sanus sit, vim cibos solvendi, etiam post mortem, inesse, HUNTERUS compertum habuit*.

RATIO

* Vide Animal Economy, p. 194.

RATIO SYMPTOMATUM.

Sequitur pars tentaminis hujusce, in qua de signorum ratione inquirendum est; tot autem signa morbus noster sanè exhibit, quot singulorum rationem, limites nos dare vetant; primaria igitur, frequentioraque, solummodò, breviter enodare conabimur.

1. *Anorexia.*—Symptomatis hujusce rationes varias plurimasque memoriâ quidem indignas, physiologi pathologique reddere conati sunt. Quoniam autem sensus famis a succi gastrici actione pendere videtur, anorexia ortum ab humoris ejusdem aut defectu, aut malo habito, ducere, sanè verisimillimum est. Humor verò concoctionis parciùs justo secretus, dotesve pravæ ejus, a debilitate atoniaque fibrarum ventriculi ipsius muscularium, proficiscantur oportet. Rem ita sese habere, experientiâ satis constat; ventriculo etenim debilitato, cibi appetentia, aut ferè aut semper, languescit.

2. *Nausea*

2. *Nausea et Vomitus.*—Hæ affectiones morbosæ, causam eandem manifestè agnoscunt, graduque violentiæ solummodò discrepant. Illa, a fibris ventriculi circularibus carnosis, sese deinceps contrahentibus, motumque ejus peristalticum invertentibus, originem, plerisque in casibus, certò certiùs ducit; hic autem est ea stomachi, diaphragmatis, musculorumque abdominalium actio, quâ ventriculi contenta, quasi inter præla compressa, sursùm per os, insigni vi rejiciuntur.

Partium etenim harum contractione, viscera abdominis omnia sursùm vehementiùs urgentur. Pylorus, eadem de causa, constringitur, contentaque stomachi, vi et illius, et ambientium musculosa, in orificium ejus superius impressa, et hoc relaxat, et, fibris œsophagi longitudinalibus contractionem subeuntibus, exitum, quâ datâ portâ, facilem, sibimetipsis parant.

Stimulus quicunque validus ventriculo inditus, nervisque ejus applicatus, ob commercium, quod inter organi hujusce nervos, et illos qui

musculis

musculis abdominalibus, diaphragmatique inserviunt, vomitionem movere facilè potest. Copia igitur ingestorum nimia molesve, dapes necnon illæ, quæ gustui blandiuntur, ideòque, avidè sineque norma deglutitæ, vomitum promptiùs cient.

Causæ vomitûs hactenus traditæ, ventriculum sanè irritant; phænomena, veruntamen, alia haud pauca in causa sunt, cur vomitum a ventriculi debilitate, atoniâve solâ, interdum proficisci credamus. Sanguis etenim brachio modicè detractus, interdum; fluidumque hocce largius emissum, sæpiùs vomitionem movent. Quin et, aqua tepida oleumque blandissimum, viribus stimulantibus procul dubio destituta; sedantia, opium, videlicet, liberaliùs adhibitum, quibusdamque in hominibus, liquores mitissimi, et nauseam et vomitum promptiùs excitant; dum stimulantia diversa effectum hujusmodi nullum edunt.

3. *Inflatio.*—Quamprimum alimenta in stomachum descendunt, saliva fluidaque ventri-

culi

culi, succus gastricus potissimùm, acidum carbonicum, quod illis plerumque abundantiùs inest, brevi expediunt. Acidum verò hocce evolutum, verisimiliùs in causa est, cur ventriculus, aut plerumque aut semper, post cibum sumptum, plùs minùsve citiùs distendi sentimus; cibus etenim ipse madefactus, liquoribusque ventriculi admistis, molem haud multùm augere potest.

Verumenimverò, acidum hocce, etiamsi copiosiùs extricatum, vix ac ne vix quidem, molestiam stomacho firmo ullam facessit; eaque de causa, physiologi plerique omnes id, in statu organi sano, rursùs illicò absorberi putârunt: ventriculo autem debilitato, potestas absorbendi hæcce, magna ex parte, deesse videtur, hincque ratio patet, ob quam, aëre alimentis evoluto, stomachus in dyspepsia tantoperè distenditur.

4. *Ructus et Ruminatio.*—Quod ad ructum quidem attinet, causa, ni fallor, in aprico est; acidum, videlicet, carbonicum evolutum; at more organi sani parùm absorptum, ventriculum

lum adeò irritat, ut motum ejus peristalticum invertat, cardiamque recludat. In hoc statu rerum aëris aliquantulum elastici per ostium stomachi superius transiens, et in œsophagum ingreditur, et ad os usque ascendit.

Ruminatio—autem causam sequentem, me judice, agnoscit; partes, scilicet, alimentorum solidiores, in succo gastrico haud ritè solutæ, acido carbonico expedito, fluidis leviores evadunt, ventriculi summa petunt, cardiamque malè irritant; orificioque verò hocce, ob motum peristalticum inversum, tandem aperto, et rejiciuntur, et ad fauces osve perveniunt.

5. *Cardialgia*,—sensus nimirùm molestissimus urensque, quem cibi coquendi impotentes, ad orificium ventriculi superius identidem percipiunt, si mens me rectè monet, ab acore acerrimo pendet, cui alimenta, ob stomachi atoniam in eo diutiùs retenta, ideòque fermentationem acidam subeuntia, ansas facilè præbent. Rem ita se habere, liquorem insigniter acrem e ventriculis, scirrho, pylorum, aut admodum coarctante, aut ex toto occludente, laborantibus,

sæpiùs

sæpiùs rejectum, linteolaque nonnunquam erodentem, testem fide dignissimum, ni fallor, habemus.

6. *Gastrodynia.*—Dolor, videlicet, ventriculi acerbus, ut neminem latet, a causis diversis, inflammatione, nimirùm, inflatione, acrimoniâ, spasmo, et aliis, proficisci facilè potest. Nostro autem in morbo, fibræ ventriculi musculosæ, contractionibus suis, in diversas, sæpiùs, in contrarias partes, divellentes, crimen, me judice, sustinent. Stomachus verò, atoniâ summâ laborans, contractiones spasmodicas hasce, Hoffmanno erudito expertoque teste, facillimè gignit.

7. *Alvi tarditas duritiaque.*—Quin, signa hæcce a debilitate torporeque fibrarum muscularium, quæ in longitudinem et ventriculi et intestinorum, pariter ac in circuitum, sese distribuunt, oriantur, nullus equidem dubito. Ventriculus, etenim, tono idoneo orbatus, alimenta per pylorum in duodenum, justo tardiùs propellit, ideòque motus hujus peristalticum ido-

neum parùm excitat; motus verò hicce, partibus in superioribus, haud ritè excitatus, partes inferiores tardissimè petit. Hinc causa in aprico est, quare, alimentorum descensus motui peristaltico, in hoc morbo, ob fibrarum intestinorum musculosarum, nunquam non lento, pro rata parte semper respondeat, eo scilicet tardo, tardus, eo celeri, celer evadit.

Hisce, de symptomatologia in lucem prolatis, proximum est, ut, in hoc morbo, notas proprias brevissimè explicem, quæ, vel spem vel periculum ostendunt.

PROGNOSIS.

Morbum de quo in tentamine hocce dissero, exitium, viribus propriis, rariùs ægrotantibus afferre, inter omnes, ni fallor, constat; hoc veruntamen malum, ægrotos pertinaciùs diuturniùsque, sæpissimè tenere, medicis vel plerisque, vel omnibus liquet.

Verumenimverò,

Verumenimverò, si dyspepsia impetum in juvenes fecerit; si per spatium temporis breve solummodò perstiterit; si cujusdam stimulorum, qui ad sanitatem benè tuendam necessarii sunt, aëris scilicet, exercitationis, cibive corpus ritè nutrientis, defectum, pro causa agnoverit, ægroti certè certiùs in meliore spe sunt.

Sin autem, in stadiis vitæ provectioribus, causis remotis potissimùm inveteratis, dyspepsia invaserit; sinve remediis propriis sæpiùs debellata, iterum iterumque pertinacitèr recurrerit, si denique, morbi magis ac ipsa exitiales, febris nimirùm hectica, hydrops, cachexiaque generalis, dyspepsiæ supervenerint, periculum majus vel etiam maximum, ægroti capiti sane imminet.

Cognitis indiciis, quæ vel nos spe consolentur, vel metu terreant, ad morbi nostri curationem transeundum est.

RATIO MEDENDI.

Quantum morbi hujusce sanationem spectat, si mens me rectè moneat, plus fiduciæ in ratione victûs idonea, causisque remotis evitandis, quàm in medicaminum viribus, collocetur oportet.

In hoc statu rerum, consilia medendi tria, ratione ad regimen debitum priùs ritè habitâ, absolvenda, ni fallor, veniunt.

I. *Causæ morbi remotæ quàm diligentissimè evitandæ sunt.*

II. *Signa nonnulla, quæ gravitatem morbi augere solent, medicus aut mitiget, aut removeat oportet.*

III. *Vires tonumque ventriculo restituere etiam conetur.*

Verba per pauca de regimine imprimis facere lubet;

REGIMEN.

Regimen.—Adhibendum, a corporis constitutione pendeat oportet.

Victus.—Dyspepsiâ ægroti caveant, ne ventriculum cibo malè onerent: incœnati cubitum eant. Carne aut elixâ aut assâ pridiè cæsa, moderatius utantur. Quin et, caro ferina concoctu facilior est, ideòque anteferri debet.

Dyspepsiâ ægrotos carnibus, maxima ex parte, vesci oportet; a carnibus veruntamen oleosis, infumatis, aridis, saleque conditis; plerisque piscibus; butyro liquefacto; carnibus farreâ crustâ coctis; bellariisque omnigenis, sese sedulò abstineant.

Potus.—Pro potu spiritum stillatitium, aquâ ritè dilutum, dyspepsiâ laborantes bibant. Verumenimverò dyspeptici, ætate provectiores potissimùm, ab usu potationis, quàm maximè fieri potest, desistant.

Ab

Ab vini usu dyspepsiâ ægroti prorsùs abstineant, quippe quòd immoderatè sumptum, vomitum acidum violentum promptissimè cieat, parcìùsque haustum, speciem morbi vetustam facilè gignat.

Hisce de regimine propositis, consilia medendi in medium ponere, pergamus oportet.

I. *Causæ morbi remotæ quàm diligentissimè evitandæ sunt.*—Quòd ad indicationem curandi hancce quidem attinet, de causis dyspepsiæ remotis suprà fusiùs disseruimus, ideòque earum mentionem, hic loci iterum facere, prorsùs supervacaneum foret.

II. *Signa nonnulla, quæ vim morbi haud parùm augent, aut allevari, aut summoveri debent.*

Inter hæc symptomata graviora, *anorexia, vomitus, cardialgia, gastrodynia, alvus*que *adstricta*, enumeranda veniunt.

1. *Anorexia.*—Signo huicce, medicamentis vomitionem

vomitionem excitantibus, obviam ire, medicorum plerorumque moris est. Emetica quidem consultò gnarèque adhibita, pro dyspepsiâ laborante, modis diversis facient; contenta, videlicet, ventriculi evacuant; vires tonumque organo huicce augent, cursumque humorum in corporis superficiem derivant.

Verumenimverò, viribus hisce in emeticis insitis, unum alteri pro consilio medendi, anteponat medicus oportet. Si contenta, quæ cibi appetitum magis magisque prosternere, nauseamque augere, facilè possunt, ventriculo expellere velit, leniora, tantùm, aquam nimirùm tepidam, theæ viridis, anthemidis nobilis, raphanive rusticani infusa, in auxilium vocare debet: Sin autem tonum ventriculo augere, quod emetica modicè, certosque intra limites, adhibita, procul dubio penes est, humorumve impetum cutem versus determinare, quod e re ægrotantis sæpiùs haud parùm erit, ut morbi curationem, et æstate, et in regionibus calidioribus, faciliorem, testem integrum habemus, decreverit, ad emetica fortiora, pulverem, videlicet, cephaëlidis ipecacuanhæ, et alia, ritè confugiat.

Vomitus

Vomitus veruntamen, ne sæpiùs repetatur, alioquin ventriculum nequaquam roborabit; at contrà quidem, vires ei, certò certiùs plurimùm convellet, ut exempla haud pauca satis superque docent.

2. *Vomitus.*—Cibi per os rejectio, pro vis naturæ medicatricis conatu salutifero, sæpiùs habeatur oportet; ideoque medici attentionem, nisi si gravis evadat, vix ac ne vix quidem, sibi vindicat. Emeticum mite, vomitus etenim vomitu interdum depellitur, guttæ, aut spiritûs vini Gallici, aut acidi sulphurici, paucæ, vomitum leniorem facilè cohibent.

Vomenti aut aquâ e colombo decocto, aut ejusdem pulvere, sæpiùs succurritur.

Hisce autem parùm valentibus, ad opium vel internè adhibitum, vel regioni ventriculi formâ cataplasmatis admotum; haustum salinum effervescentem; cucurbitulas cum ferro cruentas; epispastica, et sinapismos, causâ vomitum graviorem compescendi, confugiendum est. Enemata

mata anodyna, in alvum ex parte inferiore infusa, quæ sanè, tum ad vomitum, cùm ad dolores ventriculi acerbos sedandos, plurimùm pollent, utenda sunt. Quin et, si medicorum quorundam experientiæ fides habenda sit, muriatis sodæ pauxillum, remediis aliis plerisque incassùm in auxilium adhibitis, vomitum violentum interdum tollunt.

3. *Cardialgia.*—Signum hocce gravissimum, a cruditatibus acoreque in ventriculo scatentibus, potissimùm pendere, suprà ostendimus. Hinc ratio patet, quare, ei, regimine præcipuè, obviam eundum est.

Quod ad medicamenta quidem pertinet, acori in stomacho plus justo abundanti, absorbentibus, magnesiâ, videlicet, quæ acido ventriculi adjuncta, salem medium alvum leniter molientem facit: aquâ calcis, quæ acidum avidè absorbet, ideoque sæpiùs multùm prodest, salibusque alcalinosis, medicus occurrere conetur oportet.

4. *Gastrodynia.*—Symptomate hocce dolen-

tissimo, irritabilitatem cardiæ nimiam, ortum a muco abraso ducentem, pro causa agnoscente, demulcentia opiataque ægroto prôderint; spasmo autem crimen sustinente, ad aromata, antispasmodica, ammoniam, videlicet, moschum, ætherem sulphuricum, gummi fœtidæ, medicus confugere debet.

Si medicorum quorundam usui experientiæque fidem habere liceat, oxidum bismuthi album, in gastrodynia medenda, viribus specificis sanè gaudet.

Verumenimverò, in signo hocce sublevando, opium, remediis aliis omnibus, longè longèque anteferendum est; nec, me judice, exemplum ullum luculentius artis Hippocraticæ generi humano utilitatis dare potest, quàm ex doloris ventriculi spasmodici gravissimi levamine, quod remedium hocce eximium, citiùs dicto, sæpiùs secum affert.

Testimonium ejus gratum, de remedii hujusce viribus in gastrodynia sopienda, Hippocrates

crates Britannicus SYDENHAMUS, et optimus, et nunquam non venerandus, sermone eloquente recordavit. Auctoris hujusce eximii verba, apud paginæ calcem legenda, hic loci referre, et admodum delectat, et certò certiùs plurimùm juvabit *.

5. *Alvus adstricta.*—Causâ signo huicce succurrendi, cathartica lenia in auxilium vocentur oportet. Sales medii, dosibus parvis, sæpiùsque repetitis, sumpti, alvum leniter movent. Purgantia omnia drastica, quippe quæ intestina debilitent, summa cum cura evitentur. Magnesia, vel pulvis jalappæ compositus, vel pulvis radicis

---

* "Quinimò ita necessarium est in hominis periti manu organum, jam laudatum medicamentum, ut sine illo manca sit ac claudicet medicina; qui verò eodem instructus fuerit, majora præstabit, quàm quis ab uno remedio facilè speraverit: Rudis enim sit oportet, et parùm compertam habeat hujus medicamenti vim, qui idem sopori conciliando, demulcendis doloribus, et diarrhœæ sistendæ adplicare tantùm novit, cùm ad alia plurima, gladii instar *Delphici*, adcommodari possit, et præstantissimum sit remedium cardiacum, unicum penè dixerim, quod in rerum natura hactenùs est repertum." Vide SYD. Oper. p. 186.

radicis rhei palmati, medici votis, haud paucis in exemplis, ritè respondebunt. Quod verò ad rheum quidem pertinet, medicamentum hocce in ore mansum, et alvum sæpiùs satis emollit, et ad ventriculum roborandum, amaritudine, plùs minùsve sæpiùs confert.

Hisce de signis dyspepsiæ gravioribus, aut tollendis, aut mitigandis, in medium positis, proximum est, ut

III. *Indicationem tertiam tradamus, remediaque, quæ tonum ventriculo reddere possunt, breviter referamus.* Medicamenta, quæ causâ consilium hocce exequendi, adhibentur, aut stomachum ipsum, statim, aut hoc viscus, interventu organorum corporis aliorum, afficiunt.

1*mò*, Medicamina, quæ vim in ventriculum exercent, medici in *Stimulantia*, *Roborantia*que dividere solent. Eâque de causâ, de utrisque ordine breviter dicendum est.

a. *Stimulantia.*—Classis hujusce medicamenta, mala graviora, quibus ventriculi debilitas ansas præbet,

præbet, plùs minùsve, aut ferè aut semper mitigant. Verumenimverò, cum et levamen fugax ægro solummodò afferunt, et nisi frequentiùs uberiùsque, indies adhibentur, votis medici haudquaquàm respondent, metus est, ne gressu temporis ventriculum adhuc magis infirment, consuetudinemque ea appetendi pravam gignant.

Inter remediorum horum præcipua, salina pauca, *acidum* videlicet *sulphuricum*, *acidum muriaticum*, *muriatem sodæ ;* tincturas quasdam, *tincturam* nimirùm *myhrræ*, *rhei palmati*, *rhei compositam*, *rhei* et *aloës*, *rhei* et *gentianæ ;* aromata quædam, *piper* scilicet, *sinapi*, *raphanum rusticanum*, *aquam cinnamomi*, *aquam menthæ piperitidis*, enumerare liceat.

b. *Roborantia.*—Horum nonnulla e stirpibus, alia e metallis, præparantur. Ad roborantia, quæ regnum vegetabile nobis suppeditat, *Cinchona officinalis*, *Quassia simaruba et excelsa*, *colombo*, *gentiana*, *flores anthemidis nobilis*, pertinent. Aromatis, *cortici* videlicet *aurantiorum*,

rum,

rum, *cinnamomi* et aliis adjuncta, remedia hæcce ventriculo gratiora evadunt.

Inter *roborantia metallica*, ferri præparata quædam, *tinctura muriatis ferri*, *carbonas*que *ferri*, potissimùm recensenda sunt.

2do, Inter remedia, quæ corpus totum roborando, ventriculum confirmant, *exercitationem*, *lavationem frigidam*, *animi*que *exhilarationem*, recensere velim.

a. *Exercitatio.*—Sicuti inertia, ignaviaque, vires ventriculi utpotè attenuant, ita corporis exercitatio quotidiana, ad tonum ejus restituendum, admodum pollet. Nec hoc mirum nobis videri debet. Quid etenim sanguinem, in corporis partes omnes, æqualiter distribuere meliùs potest? Quid cutis halitum, aut efficaciùs, aut constantiùs elicit? Quid stomachum validiùs acuit? Quid glandularum diversarum secretiones, certiùs auget, alvumque quotidiè ciet? Quid, denique continentiùs faciet, ut in partes systematis omnes, calor vitalis diffundatur?

b. *Lavatio*

b. *Lavatio frigida*, dyspepsiâ laborantibus haud parùm proderit, eòque magis, si corpora sua ex aqua emersa, et fricuerint, et exercuerint. Moneo igitur, ut mortales ad cibos concoquendos invalidi, aut, gelidâ undâ, aut, flumine aquæ dulcis vivo, aut, frigidario, sese perluant; aut, denique, (quod sanè et melius, et commodius est), ut aquæ frigidæ imbre alveo multifero supernè devolutâ utantur. Lavatione in usum domi adhibita, infirmiores, aquam paululùm calefaciant; de calore autem indies deducant, usque dum cœli temperaturam peræquet. Corpora satis perfusa, statim vehementer perfricent, dein cœlo sereno exerceant, modo quo, et sanguis vitalis, et calor refotus, ea equaliter penitùs permanent.

c. *Animi hilaritas.*—Denique mœstitia, morbum, de quo agimus, sæpiùs et comitatur, et auget. Dyspepsiâ ægrotantes frontem igitur exporrigant, animumque, sermone amico, bonâ spe, imaginibus lætis, agrorum hortorumve cultu, amœnitatibusque academicis, exhilerent.

Optimè

Optimè etenim aptissimèque poëta eximius, *medicus*que *solers*,

——— For whatever moves
The mind with calm delight, promotes the just
And natural movement of the harmonious frame.
ARMSTRONG'S *Art of Health.*

CORONIDE opusculo huicce, quod, insanabilis scribendi cacoëthis haudquaquam impulsu; at legibus Scholæ Medicinæ hujusce ritè obtemperandi cupidine, suscepi, tandem impositâ; nihil sanè restat, nisi quod, Professoribus ejus omnibus, gratias, quas habeo summas, reddam. Ad eos nuperrimè ignotus adveni, benignitatisque plurimùm in me generosissimè contulerunt: me igitur omnium comitatis religione obstringi arbitror; at ANDREÆ DUNCAN sen. Theoret. Med. et JACOBI HOME, Mat. Med. Professorum beneficio, potissimùm devinctus sum; quippe qui, et, ob animos ingenuos doctrinamque

trinamque multiplicem, alumnis jure cari, et, amicorum officiis mihi peregrino optimè functi sint. Has, igitur Illustrissimi! ex corde imo, animoque grato, lubentissimè refero. Quocunque terrarum hospes deferar, tantæ liberalitatis memetipsum nunquam non memorem præstabo.—Vivete, et Valete!

FINIS.

ERRATA.

Pag. 7. l. 9. a capite, *pro* ægrotis *lege* ægrotus
—— 10. l. 7. a calce, *pro* morosè *lege* morosi
—— 16. l. 3. a capite, *pro* quoddam *lege* quodam
—— 44. l. 4. a capite, *pro* exhibit *lege* exhibet
—— 45. l. 6. a calce, *pro* relaxat *lege* relaxant
—— 47. l. 8. a capite, *pro* admistis *lege* admistus